MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81279-1

AUTHOR:

HAUBOLD, CHRISTIAN GOTTLIEB

TITLE:

EXERCITATIONUM VITRUVIANARUM...

PLACE:

[LEIPZIG]

DATE:

1821

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

[Haubold, Christian Gottlieb] 1766-1824.
Exercitationum Vitruvianarum quibus iura parietum communium illustrantur. 1821.
pt. 3. 16 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Leipzig.

ORDINARIVS SENIOR ET RELIQVI DOCTORES FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS

MEMORIAM

SCHVTZIO-GERSDORFIANAM

DIE IV. M. AVG. A. C. CIↃIↃCCCXXI.

H. IX.

IN AVDITORIO IVRISCONSVLTORVM

SOLLEMNIBVS ORATIONIBVS CELEBRANDAM

INDICVNT.

EXERCITATIONVM VITRVVIANARVM,

quibus

iura parietum communium

illustrantur,

SPECIMEN III.

EXERCITATIONVM VITRVVIANARVM,

quibus

iura parietum communium

illustrantur,

SPECIMEN III.

Quam in secundo Specimine, Liuii maxime et Taciti fide, probauimus promiscuam aedificandi rationem, in vrbe post cladem Gallicam restaurata adhibitam, eius non solum haec fuit vis, vt lex XII tabularum de sestertio pede inter singulas aedes vicinas seruando paulatim in desuetudinem abiret, sed etiam, vt *ambitus* et *insulae* significationes propriae a Festo [a]) indicatae cum aliis commutarentur, quas, nouam scribendi opportunitatem nacti, nunc quidem sub examen vocabimus. Spectat autem ad mutatam *ambitus* notionem, de qua primum dicemus, quum maxime locus vexatissimus Ciceronis [b]), in quo illustrando et cum iuris disciplina conciliando ad nostram vsque aetatem viri docti plurimum elaborauerunt. En eius verba, prout iam olim in editionibus Iani Gruteri, Iac. Gronouii, Isaaci Verburgii, Io. Aug. Ernesti et Ios. Oliueti constanter sunt expressa, et denuo in nouissima Christ. Gfr. Schützii recensione, a prioribus Viri Celeberrimi curis etiam in hoc exemplo nonnihil diuersa, leguntur: „*Quae autem extrinsecus adsumuntur* (argumenta), *ea maxime*

a) De V. S. Lib. I. v. *Ambitus* p. 24. et Lib. IX. v. *Insulae* p. 192. ed. *Dacer.*

b) Topic. c. 4. sub fin. Cf. Spec. I. p. 8, et 11.

ex auctoritate ducuntur. Itaque Graeci tales argumentationes ἀτέχνους *vocant, id est, artis expertes: vt, si ita respondeas: Quoniam P. Scaeuola id solum esse ambitus aedium dixerit, quod, parietis communis tegendi caussa, tectum proiiceretur, ex quo in tectum eius, aedes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius videri*" [c]). Cod. MSS. de quibus certi quid comperire potuimus, nec non edd. illis, ad quas supra prouocauimus, antiquiores variant potissimum in vocula *quod* et in verbis: *ex quo in tectum etc.* Pro illa enim Cod. Oxoniensis ψ, tum Vitebergensis, quo Ernestius vsus est, nec non editio Veneta anni 1485. et Iuntina anni 1514. habent *quantum*, quod etiam apud Boethium exstat, Dionysius Lambinus autem *quoad;* et reliqua verba in duobus Codd. Bibliothecae Leidensis, quorum lectiones Franc. Godardus van Lynden [d]) enotauit, (num. 84. et 86.) ita referuntur: *ex quo tecto in eius aedes, qui,* (quod et ipsum Lambinus probauit,) sicut in tertio (num. 70.): *ex quo in tectum eius, qui protexisset, aedis, aqua deflueret;* fere vt apud Boethium: *ex quo in tectum eius aedeis qui protexisset.* Neque abstinuerunt viri docti ab emendationibus, quibus locum ambiguum ad suam quisque sententiam refingere, aut certe ab obscuritatis vitio liberare conati sunt. Sic Franc. Balduinus iam ante Lambinum [e]) legi iussit: *quantum parietis communis tegendi caussa proiiceretur, ex quo tecto in eius aedes, qui protexisset, aqua deflueret;* et Franc. Hotomanus [f]) tum *quoad* pro *quod* reponendum, tum posterius *tectum* eiiciendum, siue, quod alio loco [g]) disertius enunciauit, integrum con-

c) In Operum *Ciceronis* rhetoricorum Vol. III. ex edit. *Schützii* (Lips. 1808. 8.) verba postrema sic se habent: „*quod, parietis communis tegendi caussa, tectum proiiceretur, ex quo in eius aedes, qui protexisset, aqua deflueret.*"

d) Spec. exhib. interpretationem iurisprudentiae Tullianae in Topicis expositae (L. B. 1805. 4.) c. 5. p. 84.

e) In Iurisprudentia Muciana; in *Io. Glieb. Heineccii* Iurisprud. Rom. et At. T. I. p. 464.

f) Lib. II. Obss. et Emendatt. in ius ciuile c. 3. Opp T. I. P. II. p. 36.

g) De Legibus XII tabularum Tripartita p. 136. et in Opp. T. III. p. 433.

textum ita censuit restituendum: „*quoad parietis communis tegendi caussa tectum proiiceretur; ex quo in eius aedes, qui protexisset, aqua deflueret;*" cui coniecturae Theod. Marcilius [h]) omnino subscripsit. Paulo longius a vestigiis scripturae antiquae recessit Ge. d'Arnaud [i]), locum nostrum hunc in modum corrigendo: „*quoad parietis communis tegendi caussa tectum proiiceretur, ex quo* INTACTIS *eius* AEDIBVS, *qui protexisset, aqua deflueret.*" Ad quam Arnaldi coniecturam, vt fieri solet, aliam substituendo, editor Arnaldiani opusculi postumi, Henr. Io. Arntzenius [k]) adnotauit, forte scripsisse Ciceronem: „*id solum esse ambitus aedium, quo parietis communis tegendi caussa tectum proiiceretur, exque tecto eius, aedes qui protexisset, aqua deflueret.*" Porro Ernestius, posteaquam verissime, nisi fallimur, monuit, *τὸ quod* iam ea de caussa, quod mox ei respondeat *τὸ id*, esse praeferendum, verba postrema mutanda putauit in haec: „*ex quo in eius aedes, tectum qui proiecisset, aqua deflueret.*" Denique Schützius in notis priori Topicorum recensioni adiectis loci nostri particulam, in qua cardo rei vertitur, sic tentauit: „*quoad parietis communis tegendi caussa tectum proiiceretur, ex quo ante eius aedes, qui proiecisset, aqua deflueret,*" quam coniecturam in posteriori editione, solo *tegendi* vocabulo suppresso, denuo commendauit. Haeserunt enim, qui huic loco siue edendo, siue illustrando operam dederunt, vt plurimum vel in duplicis *tecti* mentione, quum exemplo Balduini non intelligerent, quaenam sit aqua ex tecto in tectum defluens; vel in contiguarum, vt cum Arnaldo loquamur, aedium natura, pro qua non caperent, quomodo alteruter dominus ad talem parietem communem protegen-

h) Legis XII tabularum Collecta et interpretam. num. 43. p. 133.

i) Lib. II. Variar. Coniecturar. c. 25. et in Vitis Scaeuolarum §. 21. p. 63.

k) Ad *d'Arnaud* Vitas Scaeuolarum §. 21. not. h. p. 64.

dum tectum proiicere possit; vel denique in commemoratione aedium eius, qui protexisset, tamquam earum, in quas aqua per protectum defluat, quum ipsis contrarium verius esse, et talis aedificii pars prominula eo potius spectare videretur, vt per eam aqua in vicini aedes deriuetur.

Quemadmodum de lectione loci parum inter viros doctos conuenit, ita non magis in interpretationem eamdem consentiunt. Missis antiquioribus commentatoribus, veluti Ge. Valla [l]), Christoph. Hegendorphino [m]), Barthol. Latomo [n]) et Io. Visorio [o]), qui plerumque Boethii sententiam aliis dumtaxat verbis reddiderunt, prima mentio esto Ant. Goueani [p]), ceteris, qui ante et post eum difficillimam Topicorum Tullianorum explanationem adgressi sunt, procul dubio longe praeferendi. Qui, postquam recte monuit, P. Scaeuolam non de omnium aedium ambitu, minimeque de insularum, quibus paries cum vicino communis haud esset, respondisse, speciem, quam Scaeuola tractauerit, huiusmodi confinxit: „*quum paries communis aut reficiendus esset, aut demoliendus, aut in eum aliquid immittendum, deque eo diuidendo ageretur, ambigebatur, quemadmodum fieri diuisio deberet. Hoc constabat, partem eam, quae in mearum aedium ambitu esset, hoc est in mea area, partem, inquam, eam esse meam, quum superficies cedat solo; quaerebatur igitur, qui aedium mearum esset ambitus.*“ Qua in re communi diuidundo agi posse, auctoritate Vlpiani [q]) atque Pauli [r]) suggessit. Idem vero quum intelligeret, parum

l) In Corpore, cui titulus: „In omnes de arte rhetorica *M. Tullii Ciceronis* Libros doctissimorum virorum Commentaria“ (Basil. 1541. f.) P. II. p. 148.

m) Ibid. p. 118. sq. et in Topicorum edit. quae cum *Boethii* atque *Io. Visorii*, nec non *Barthol. Latomi*, *Phil. Melanthonis* ac *Chph. Hegendorphini* interpretationibus prodiit Lugd. ap. Seb. Gryphium 1545. 8. p. 177. sq.

n) Pag. 177. ed. Gryph.

o) Pag. 252. sq. Corporis Basileensis et p. 176. sq. ed. Gryph.

p) Commentarii in Ciceronis Topica, Paris. 1545. 8. primum editi, nota 10. sq. in Opp. a *Iac. van Vaassen* collectis p. 466. sq.

q) L. 12. D. Comm. diuid.

r) L. 26. D. de S. P. V.

haec valere ad ipsam Scaeuolae de ambitu sententiam adsequendam, ad verba Ciceronis proxima: *ex quo in tectum eius etc.* haec adnotauit: „*quid enim? si tectum ita proieci, vt parietem totum communem protexerim, an ideo paries communis totus meus erit? non, sed tantum ex qua parte aqua in meum tectum defluit.*“ Quam interpretationem statim sic temperauit: „*verum, si rem attentius consideremus, videbimus profecto, eamdem de tecto dubitationem emergere, quae de pariete antea erat, quatenus scilicet tectum meum sit. Quare putarim suggrundis quibusdam et aquarum diuortiis tectum parietis communis diuisum fuisse,*“ vtque hanc coniecturam antiquo aliquo teste confirmaret, ad duo Ciceronis loca [s]) prouocauit. Goueani etsi non laudati disputationem saltem ex parte ante oculos habuisse videtur, quem supra nominauimus, Hotomanus. Nam qui hunc inter et Goueanum medius est Balduinus, parum aut nihil ad loci nostri intellectum attulit. Hotomanus igitur [t]), lectione eo, quem supra indicauimus, modo emendata, ait, aedes si continentes sint, quia paries communis est, neque quidquam spatii interiectum, quaesitum esse ex Scaevola, quis esset earum ambitus; idque ideo, quod nondum satis inter illius aetatis Iuriconsultos constiterit, an vicino liceret in communem parietem sua tigna et onera immittere, aut certe, quatenus liceret. Pergit vir doctissimus, ex P. Scaeuolae responso id dumtaxat pro ambitu aedium haberi, quoad vterque vicinus communem parietem protexerit; vnde diuortium aquarum fiat, et in cuiusque illorum aedes aqua pluuia defluat: nimirum vt dimidia parietis pars ad vnum, altera ad alterum pertineat, et linea communem parietem aequabiliter secans ambitum aedium vtrimque designet. Ipse tamen statim fatetur,

s) Lib. II. Epist. ad Diu. ep. 9. et Lib. III. de Orat. c. 19.

t) loco nota *f.* laud

hoc sibi perquam obscurum videri ea de caussa, quod ex veterum prudentum sententia paries in dominio vicinorum fuerit pro partibus indiuisis (quem in finem Iauoleno [v]) ac Gaio [x]) testimonium denunciauit), ac proinde cuique eorum licuerit tali pariete vti ad sustinenda onera aedificii et immittenda tigna; quam difficultatem remoturus suspicatur, Scaeuolae responsum fortasse ad eam speciem pertinere, qua vterque vicinus communi pariete vti vult in aedificando, et suis trabibus aut tignis pari eodemque loco parietis immittendis. Qua interpretatione proposita monet, Boethium in hoc loco, vt in aliis permultis, hallucinatum, dum vocabulum *solum* pro substantiuo, non, vt oportuisset, pro aduerbio haberet, ipsam vero quaestionem sic acciperet, quasi Scaeuola consultus: vtrum ius esset communem parietem tegere? responderit, id licere, dum in eius, qui tegat, aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur. Hotomanum verbotenus exscripsit Iac. Prusteus, cuius notae in Oliueti editionem migrauerunt. Sed, quod primum est, ac, nisi fallimur, ad vniuersam Hotomani opinionem eliminandam iam sufficit, sine omni ratione sumsit vir acutissimus, ab *vtroque vicino* tectum parietem responso Scaeuolae inesse. Certe in Ciceronis verbis nullum huiusmodi consociatae operae vestigium exstat. Deinde aduersantur prorsus *ambitus* notioni, quae Scaeuolam respondere Hotomanus iussit. Ambitus enim omni tempore fuit et per ipsam originem esse debuit spatium aliquod vacuum ad circumeundum idoneum, Hotomani autem ambitus foret extremitas aedium ficta, quae oritur e pariete communi non naturaliter, sed iuris potestate dimidiato, qualis omnem respuit circumeundi facultatem. Denique quis tandem existimauerit, Iurisconsulti oraculo opus fuisse ad arbitrandum, qua in parte aedes continentes vltro citroque desinant?

v) L. 4. D. de Seruit. legata.

x) L. 8. D. de S. P. V.

Itaque mirum non est, post Hotomanum alios aliter de loci nostri intellectu iudicasse. Ge. d' Arnaud omnem difficultatem tolli ratus est per nouam parietis communis explicationem, de qua iam Spec. I. [y]) dicere occupauimus. Adoptauit eamdem, explosa Hotomani doctrina, Celeberrimus Schützius in Notis ad priorem Topicorum editionem [z]). Ernestius, etsi nusquam, quae ipsi de vniuerso loco sederit sententia, professus est, verba tamen posteriora sic accepit: *ideo ius esse, proiicere tectum eatenus, qui communem parietem tegat.* Denique, qui nouissime Topicis Tullianis e iuris antiqui scientia lucem adferre conatus est, van Lynden [a]), dum solus ad hunc diem negauit sententiae siue Scaeuolae siue Ciceronis quidquam inesse difficultatis, eam adhibuit interpretationem, quam veremur ne sit ipso responso Muciano obscurior. Ait enim, Ciceronem id velle: *tu, Trebati, Scaeuolae auctoritate respondeas, ius esse proiicere tectum illi, qui intra ambitum adhuc suarum aedium tegit parietem communem; sed ita, vt in suum tectum aqua defluat, nec vicino noua noceat seruitute.*" Scilicet hoc a Scaeuola doceri interfuit consultoris, vtrum sibi liceret protectum habere tale, quo aqua deflueret in suum tectum! En profecto alterum Domitium Labeonem, dignum, qui suum inueniret Celsum!

Nihildum diximus de Boethio, antiquissimo Topicorum interprete, in quo quamquam non temere omnia probaueris, velut illam aduerbii *solum* cum substantiuo confusionem, quam Hotomanus, etsi a plerisque eodem nomine vituperatus, merito ipsi exprobrauit, plura tamen sunt eiusmodi, vt iis fidem habere tanto magis conueniat, quo minus mores veteris Romae tempore, quo Boethius scripsit, ab vsu plane recesserunt. Sed praestat ipsum

y) Pag. 9. et 23.
z) Pag. 274.

a) Spec. laud. supra not. *d.* c. 5. §. 4. p. 94. sq.

audire de loco nostro his verbis disserentem [b]). *Solum ambitus aedium est, quantum soli aedium ambitus claudit. Scaeuola igitur dixit id esse ambitus aedium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestum est enim tecta latius fundi, nec parietibus adaequari, vt stillicidium longius cadat. Quae quum ita sint, quidam parietem communem tegere nitebatur. Quaeritur: an sit aliquod ius tegendi? Respondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius esse tegendi parietis communis, vt in cius, qui tegat, aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur. Alias non esse iuris, vt tegat quis parietem, stillicidio in vicini tecta defluente. Haec enim stillicidii seruitus noua, nisi consentiente vicino, nihil iuris habet. Sed si huic responso opponatur: ne sic quidem, vt tegat, esse iuris, quandoquidem aedium solum tantum est, quantum cuiusque parietes claudunt; qui vero tegit, tectum longius mittit: tu, inquit, responsum tuum Scaeuolae auctoritate firmabis, dicens, Scaeuolam respondisse: hoc esse solum ambitus aedium, quantum tectum proiiceretur, non quantum parietes ambirent. Ius est igitur, proiicere tectum, quia intra ambitum adhuc suarum aedium tegit; sed ita, vt in suum tectum aqua defluat, nec vicino noua noceat seruitute. In qua quaestione neque a subiecto, neque a praedicato termino ductum est argumentum: quod in his locis considerari moris est, qui in ipsis haerent, de quibus agitur, terminis; vt in omnibus exemplis est diligentissime declaratum. Sed quia sumitur argumentum extrinsecus, dubitationi iudicium cuiuslibet opponitur, vt nunc Scaeuolae, cuius auctoritate responsum est: atque ideo ex loco, qui vocatur extrinsecus, sumtum dicitur argumentum.*"

Iam diu in aliorum interpretationibus adferendis commoratos, tandem, quae nobis placeat sententia, breuiter oportet indicare. Ac primum quidem in lectione, prout eam recentiores editiones, inque his nouissima Schützii, exhibent, nihil mutandum censemus, nisi quod alterum *tectum*, natum forsitan ex glossemate atque in contextum receptum, etiam nobis abundare videtur. Cardo rei ex nostra sententia vertitur in *ambitus* notione, de qua P. Scaeuola, sicut, teste Cicerone in iisdem Topicis [c]) C. Aquillius de littoris definitione, consultus fuerat; neque constat, vtrum id responsum, quod Io. Aug Bachius [d]) pro certo adfirmat, vni ex decem libellis de iure ciuili, ab eodem Scaeuola, si fides habenda est Pomponio [e]), relictis, fuerit illatum. Videtur autem quaestioni Mucio propositae ansam praebuisse illa ipsa aedificiorum continentium, quibus Roma istis temporibus abundauit, frequentia, qua factum est, vt propria ambitus significatio, qualem lex XII tabularum nuper a nobis illustrata adgnouerat, paullatim in desuetudinem abiret, quippe cuius inter aedes parietum communione vinctas, qua haec pateret, per eiusdem naturam nullus vsus superesset. Neque tamen rei ipsius memoria in commercio quotidiano tum plane exoleuit, in primis quum suppeterent aedificia, etsi non multa, in quibus pristina forma esset seruata. Facile igitur potuit Iurisconsultus adiri ab aedificaturis aliisue, quorum interesset edoceri, an et quatenus in parietem communem conueniat ambitus alicuius obseruantia, in primis, quando de ea re in lege aedium nihil esset nominatim comprehensum. Quorum desiderio vt Scaeuola satisfaceret, respondit, etiamsi parietis communis indoles impediat ambitum sensu, quo eum lex decemuiralis praescripsisset, accipiendum, superesse tamen eius vestigium in gratiam vicini, qui parietis communis tegendi caussa tectum proiiceret, id est, vltra parietis summi rigorem in ea regione, quae alterius vicini esset, asseribus in obliquum prominentibus

b) Lib. II. sub fin. p. 93. sq. ed. quae prodiit Paris. ex offic. Rob. Stephani 1535. 8.

c) Cap. 7.

d) Lib. II. Historiae iurisprud. Rom. c. 2. sect. 4. §. 31. not. o. p. 251. ed. nouiss.

e) L. 2. §. 39. D. de O. I.

proueheret, dumne per hoc tectum in vicini aream aut tectum aqua deflueret, sed in ipsius proiicientis aedes aut tectum deriuaretur. Hactenus igitur ex Scaeuolae responso aedificanti licuit, inuito adeo vicino, tecti extremam oram protendere in aerem, qui vicini esset, contra illam iuris regulam notissimam, ex qua, cuius est solum, eius etiam est aer eo modo, vt in hunc, inuito soli domino, nihil proiici possit [f]). Videtur autem hoc ius singulare publicae vtilitatis caussa receptum, maxime quum vtriusque vicini pariter interesset, parietem communem tegendo muniri et a tempestatibus tutum praestari. Hinc iam intelligimus, partim, cur Iurisconsultus longe alium, quam XII tabulae, eumque minorem ambitus modum adgnouerit, quippe talem, qui fini illi obtinendo sufficeret (*id solum esse ambitus aedium*), partim, cur eumdem modum, adiecta clausula: *ex quo in tectum eius, aedes qui protexisset, aqua deflueret*, temperauerit. Noluit enim nouam vicino imponi seruitutem (vt optime monuit Boethius), sed, veteris ambitus memor, id tantum ab eo aequo animo ferri voluit, quod ipsi minime molestum, quid? quod adeo salutare videretur. Quae interpretatio si verbis Tullianis est adcommodata, nihil superest, quam vt breuiter doceamus, eam ipsi aedificandi rationi, qua veteres vsi sunt, respondere; dummodo meminerimus, quod sponte patet, poni in nostro responso parietem communem eiusmodi, cui non ex vtraque parte, sed dumtaxat ex parte eius, qui parietem est protecturus, aedificia sint adiuncta. Cuius rei duo illustria testimonia nobis visi sumus reperire: alterum in antiqua lege Puteolana, publicata primum a Ge. Fabricio [g]) et posthac saepenumero typis repe-

f) L. 17. pr. D. Si seruit. vindic.

g) Lib. I. Monumentorum antiquitatis insignium p. 2 - 26. ed. vtriusque, quae prodiit Basil. 8. sine anni mentione, sed cum epistola dedicatoria iam a. 1549. scripta. Ipse autem *Fabricius* p. 23. ait, se hanc legem Neapoli (vbi teste *Io. Dan. Schrebero* in eiusdem Vita §. 7. p. 49. sq. aliquot anni 1543. menses transegerat) descripsisse ex marmore, eamque antea non fuisse impressam. Itaque, quod visum Celeberrimo *Io. Glob*

tita [h]), in qua non solum identidem mentio fit *marginis* parieti imponendi, sed etiam in parietum altitudinem *margo* imputatur; alterum in ipso Vitruuii loco vniuersam tectorum structuram exponente [i]), cuius verba, quatenus ad nostram quaestionem spectant, adiecta versione Germanica, qua nouissime a peritissimo harum rerum arbitro. Christ. Lud. Stieglitio, Viro Iurium Consultissimo nobisque amicissimo, sunt exornata [k]), temperare nobis non possumus, quin adscribamus: *„Supra cantherios templa, deinde insuper sub tegulas asseres ita prominentes, vti parietes proiecturis eorum tegantur.“* (*Ueber die Sparren legt man die Dachfetten* (templa), *endlich zunächst unter den Ziegeln die Latten* (asseres), *so weit hervorragend, dass die Wände durch ihren Vorsprung geschützt werden.*) Ceterum vesti-

Schneidero Commentariorum ad *Vitruuii* Lib. IV. c. 6. p. 272., *Guil. Philander* non fuit primus, qui hoc monumentum, (quod a *Ioanne Metello* acceperat) in editione *Vitruuii* posteriore, quippe Lugd. 1552. 4. demum vulgata, ad Lib. IV. c. 6. luci exponeret. Transiit tamen inde lex Puteolana in nonnullas *Vitruuii* editt. recentiores, velut in Amstelodamensem *Io. de Laet* p. 74.

h) En indicem reliquarum editionum monumenti perantiqui, quae nobis innotuerunt: 1) in *Aldi Manutii* Ratione orthographiae p. 55 - 58. ed. I. (Venet. 1566. 8.) vel p. 53 - 56. ed. II. (ib. 1 91. 8. . 2) ad calcem Operis *Ant. Augustini* de Legibus et SCC. num. XXI. (editore *Fulu. Vrsino.*) 3) in *Barn. Brissonii* Lib. VI. de formulis c. 72. 4) in *Mart. Smetii* Inscriptt. antiquis f. 14 a). 5) in *Iani Gruteri* Thesauro Inscriptt. p. 207. num. . 6) in *Iul Caes. Capaccii* Antiquitatum et Historiarum Campaniae c. 24. (Thesauri Italici T. IX. P. III. p. 219. sq.) 7) in *Ios. Nerii* Lib. I. Analectorum c. 29. (in Thes. *Otton.* T. II. p. 362. sq.) 8) in: *La vera antichità di Pozzuolo descritta da Giul. Ces. Capaccio* c. 7. p. 56-60. 9) in *Guil. Fleetwood* Syll. inscriptionum antiquarum p. 67. sq. 10) in Adpend. Operis: *Histoire de la jurisprudence Romaine par Ant. Terrasson* p. 8. sq. 11) in: *Dell' edifizio di Pozzuolo volgarmente detto il tempio di Serapide* (*Rom. 1773. 8.*) *Adpend. num. 1.* denique 12) in opusculo, quod simul vberrimum in hoc monumentum commentarium, qualem nemo, nisi veteris architecturae quum maxime guarus, scribere poterat, continet: *Dell' ordine Dorico — di S. Luigi da Don Pietro Marquez, con appendice sopra un' antica tavola di Pozzuolo* (Rom. 1803. 8.) p. 147. sqq. Ceterum frustra fidem eius tabulae eleuauit *Scip. Maffeius* Lib. III. Artis criticae lapidariae c. 4. p. 304. sq.

i) Lib. IV. c. 2. §. 1.

k) *Archäologische Unterhaltungen, Abtheil. I.* (*Ueber Vitruv*) *Num. 4.* (*Dächer*) p. 37. Cf. ipsa, quam ex hoc opere laudauimus, Commentatio p. 30 - 37. nec non eiusdem Viri Celeberrimi *Archäologie der Baukunst der Griechen und Römer Tom. I. Abschn. II. p. 108 - 110.* et *T. II. P. II Abschn. XIII. p. 188-190.* vbi de tectis aedium Romanarum doctissime disseritur.

gium Mucianae de ambitu sententiae in ipsis Digestorum libris [l]) latere putauit Iac. Cuiacius [m]): quam recte, alii viderint; certe nos neque *stillicidii rigorem*, neque *tignorum protectum* in P. Scaeuolae definitione adgnoscere possumus.

Minus negotii nobis facit mutata *insularum* significatio, quam et ipsam e promiscua aedificandi ratione repetendam esse non dubitamus. Quum enim proprie, auctore Festo [n]), insulae dictae sint, *quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut priuato cinguntur*, eo tempore, quo legi duodecim tabularum de ambitu aedium scriptae reuerentia est habita, aliud aedificii genus in vrbe esse non potuit, quam in quod Festi illa definitio conueniret. Ac nihilominus Vir Summus, Io. Matthi. Gesnerus [o]), an huius significationis exemplum exstet, dubitauit. Quod vnum est e multis argumentis, e quo veterem illam loquendi consuetudinem aetate scriptorum classicorum exoleuisse colligimus. Hoc certum est, *insulas* sequiori aeuo et quum maxime sub Imperatoribus non minus contiguas fuisse proximis aedificiis, quam *domos*, ac nihilosecius has ab illis distinctas. Vnde frequens *insularum* et *domuum* seiuncta mentio, velut apud Tacitum [p]), Suetonium [q]) et in primis auctorem Descriptionis vrbis Romae, qui vixit sub Honorio aut Valentiniano III. [r]), quamquam et aliquando promiscua, vt penes Capitolinum [s]) atque Donatum [t]). Coepit autem ista aetate [v]) hoc obtinere *domus* ab *insula* discrimen, vt illa esset, in qua vna familia habitaret, quod nobiliorum atque ditiorum fuit, haec, in qua

l) L. 41. §. 1. D. de S. P. V.
m) Lib. XIII. Obss. et Emendatt. c. 27.
n) Lib. IX. de V. S. v. *Insulae* p. 192. ed. *Dacer.*
o) Noui linguae et eruditionis Romanae Thesauri T. II. v. *Insula* p. 1160.
p) Annal. Lib. VI. c. 45. et Lib. XV. c. 41.
q) V. Neron. c. 16. et 38.
r) Pag. 147. Notitiae imperii a *Phil. Labbeo* editae. Vsus est hoc testimonio prae aliis *Iac. Cuiacius* Lib. XIX. Obss. et Emendd. c. 21.
s) V. Antonini Pii c. 9.
t) Ad *Terentii* Adelph. IV. 2. 39.
v) Sub Nerone id factum vult *Is. Casaubonus* Comm. ad *Suetonii* Neron. c. 41. T. III. p. 162. ed. *Wolf.*

plures [x]), plerumque pauperiores; ex quo factum est, vt omnes domus conductitiae promiscuo *insularum* nomine venirent [y]), quique eas locarent, *domini insularum* [z]), qui conducerent, *insularii* [a]) vocarentur. Quod tamen nostra prae primis scire interest, nihil pro isto mutato loquendi vsu referre, vtrum insulae hoc sensu acceptae aliis aedificiis cohaereant, an ab iis disiunctae sint, id manifestum fit quum ex aliis iuris ciuilis locis, tum maxime e Proculi [b]) et Vlpiani [c]) auctoritate, quorum alter *parietis communis inter horrea et insulam diuersorum dominorum siti*, alter *adiacentis domui insulae* meminit. Neque aliter intelligenda videtur *insula ad aedificium pertinens*, variis illa coenaculis, tabernis atque loculamentis distincta, obuia in inscriptione, quam nouissime Romae reperit Broenstedtius, illustrauit Celeberrimus litterarum antiquarum in Academia Hauniensi magister, Birgerus Thorlacius [d]), tum *insula iniuncta domui* in responso Papiniani [e]).

Nunc vero veniendum est ad id, cuius caussa haec scripsimus. Indicendae enim sunt orationes, in memoriam liberalitatis Schützio-Gersdorfianae a duobus Iuuenibus Generosissimis, in nostra litterarum Vniuersitate iurisprudentiae magna cum adsiduitate operam dantibus, quos indulgentia Supremi Senatus Ecclesiastici Saxonici hoc beneficio exornauit, propediem ha-

x) Ita optime *Aeg. Forcellinus* in Lexico totius latinitatis T. II. v. *Insula* p. 584. ed. II.
y) Vt in L. 30. pr. D. Locati et L. 91. §. 6. D. de Legat. III.
z) *Suetonii* v. Caes. c. 41.
a) L. vlt. D. de Offic. Praef. vigil. Cf. *Desid. Heraldi* Lib. I. de rerum iudicatarum auctoritate c. 8. §. 8. in Thes. *Otton.* T. II. p. 1118.
b) L. 13. pr. D de S. P. V.
c) L. 15. §. 14. D. de Damno infecto.
d) Notitiam huius inscriptionis valde memorabilis debemus Viro doctissimo et a quo praeclara quaeuis sperare licet, *Lud. Guil. Antonio Pernice*, in Diss. de furum genere, quod vulgo directariorum nomine circumfertur, (Gott. 1821. 8.) c. 2. p. 35. vbi sic legitur: „*Volo, vt in insula ad aedificium pertinente, quod iam possidet Sertorius, filia mea Aurelia Cyriacetis seruata sibi habeat VI coenacula, XI tabernas, et loculamenta insulae subscalaria. Quod bene vertat.*"
e) L. 91. §. 6. D. de Legat. III.

bendae. Quod pietatis officium proximo die Saturni, qui erit IV. m. Augusti, hora IX. in Auditorio nostro vterque ita exsequetur, vt alter,

THOMAS Lib. Baro DE WAGNER,
Dresdensis,

quaestionem: *num Tribonianus vitiorum a nonnullis in eo reprehensorum recte adcusetur nec ne?* breui sermone sit examinaturus; alter,

HANS GVIDO HVGO DE SCHVETZ,
Borna-Misnicus,

de iure retentionis dicturus. Vtrumque igitur oratorem vt Vos, Rector Academiae Magnifice, Celsissimi Principes, Illvstrissimi Comites, Proceres vtrivsqve Reipvblicae Gravissimi, Commilitones Nobilissimi, praesentiae Vestrae fauore condecorare dignemini, omni, qua decet, obseruantia Vos rogamus.

P. P. Dom. VI. post Fest. Trinit. A. C. cIↄIↄcccxxi.



LIPSIAE, litteris Staritii, typogr. vniv.